

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Peccatum n cum uariis

Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur, ita dici potest in homine uno si delectationibus illicitis a quibus se auertere deberet continuo cogitatione libenter sola pascatur, nec facienda decernentur mala, sed tantum suauiter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine uiro posse dampnari. Absit hoc credere. Hec quippe una persona est, totusque dampnabitur nisi hec que sine uoluntate operandi sed tamen cum uoluntate animi talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata per mediatoris gratiam remittantur.

Augustinus ibidem.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

portabat] partabat B; sola] solum P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; homine uno] uno homine C; auertere] aduertere C; libenter sola] sola libenter P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; decernentur] deserunt C, decernantur V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; tantum] tamen V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; mulierem] mulier C; hec] hic V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; est] unus homo est *add.* V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; nisi hec] nisi hic M; animi] animum V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; cogitationis] cogitationes B P V<sup>1</sup>; remittantur] remittuntur C P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>